



Compone primum globum ad altitudinem poli tuæ regionis: deinde locabis initium signi tui propositi in ecliptica animaduersi ad contactum horizontis orientalis, ibidem notando gradus æquatoris apparentes in contactu eiusdem horizontis, uel extra ad partem eorum numerum scribendo, deinde uolue sphaeram uersus occidentem: dum finis eiusdem signi propositi contingat horizontem orientalem, tunc iterum nota gradus æquatoris in contactu eiusdem horizontis ibidem apparentes, uel etiam ut antea eorum numerum ad partem extra scribendo. Summam enim graduum à prima in secunda notam serua, uel numerum graduum ascensionis obliquæ primo inuentum à numero graduum ascensionis obliquæ secundo inuentum detrahe: quod idem est, & colliges gradus ascensionum obliquas totius signi. Hos igitur diuide per 15, ut supra capite 23, & inuenies horas &c. quibus hoc totum signum peroritur in sphaera obliqua. Hac etiam uia duorum uel plurium signorum: ac denique quantacumque portionis alicuius signi tempora, quibus peroriuntur in quacumque regione inquirere poteris, tam in sphaera recta quam obliqua. Exemplo unico illarum rerum contentus sis: *Vo lo in sphaera obliqua scire tempus in quo totum signum Tauri peroritur.* Inuenio ergo ascensionem obliquam per hoc caput, uel per caput 21. principij Tauri gradus 14 ferè in regione latitudinem siue altitudinem poli  $49\frac{1}{2}$  gradum habente, quam noto in æquatore: similiter ascensionem obliquam finis Tauri ibidem reperio gradus 32 ferè, cui iterum notam in equatore infigo. Computando igitur gradus inter illas duas notas: uel subtrahendo primam ascensionem à secunda, colligam uel residuabo gradus 18, ferè æquatoris, qui cum toto signo Tauri peroriuntur. Hos gradus & minu. per 15. partior, & proueniet hora 1. minu. 12, ferè, tempus uidelicet in quo totum signum Tauri peroritur in regione illa.

Idem etiam aliter per indicem horarium breuiter reperire.

## CAPVT XXVI.



Applica ut supra globum ad altitudinem poli tui, deinde duc initium signi tui propositi in ecliptica notati ad contactum horizontis orientalis, & in tali situ globi, duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, indice sic immobiliter in se perdurante, uolue leniter globum unà cum indice inuariato, quousque etiam finis signi tui propositi perueniat etiam ad contactum eiusdem horizontis orientalem ut prius, tunc globo ita perseverante, index horarius tibi prodet horas & partes horæ, quibus hoc totum signum propositum peroritur in sphaera obliqua.

Vtrum planeta uel stella oriatur in die uel nocte per pulchre rimari.

## CAPVT XXVII.



Olloca stellam ipsam in directo horizontis in oriente, & serua globum ita immotum: deinde uide ubi sit gradus Solis in ecliptica. Nam si gradus Solis fuerit inuentus in hemisphaerio superiori, oritur eadem stella in die. Si autem fuerit in hemisphaerio inferiori Solis locus, oritur tunc in nocte. Pone etiam stellam ipsam in directo horizontis in occidente, & etiam serua globum ita immotum: deinde considera locum Solis in ecliptica, nam si gradus Solis repertus fuerit tunc in hemisphaerio superiori, occidit eadem stella in die, si autem fuerit Solis locus in hemisphaerio inferiori, occidit in nocte.

16 iij Cum